

1777
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 1703, 2
De

PARTU REGIO 12
INCERTO, 15 6

Quam
Divinâ Favente Gratiâ

EX AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

JCTO LONGE CELEBERRIMO,

SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSLÆ
CONSILIARIO INTIMO,

FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO ET PROFESS.
PRIMARIO,

ANTEA

SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGH REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

Fauctore ac Promotore et atem colendo.

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
ritè consequendis

Die XIII. Januar. Ann. MDCCIII.

Publicæ Disquisitioni exponit

HENR. SIMON PLESMANNUS,

Hist. & Polit. Profesf. Ordin.

Francofurti ad Viadrum, Literis Christophori Zeitleri.

7.

12

DISERTATIO JURIDICA IN AUSTRIAM

PARTU REGIO
INCERTO

12
p.

Quam
Divinae Praesentis Ordinis
EX AUTORITATE
MAGNIFICI SACROSANCTI ROMANI IMPERII
IN AUSTRIA REGNI PRÆSIDIS
DR. HENRICO COCCIO
SACROSANCTI ROMANI IMPERII
SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BOHEMÆ
CONSILII PRÆFECTI
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO ET PROFESS.
SUMMI CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGII REVISORUM AUSTRIÆ IN A. M. BEIDEL-
REGENS DECRETUM PARSITIS ET IURIS
PROF. PUBL. ORD. MERITISSIMO
Hactenus ac Promoveat in a. m. c. l. x. x. x.
TRO. CUMANS IN ETROQUE IURE HONORABILIS
DR. HENRICO COCCIO
Parsitis Depositionis expone
DR. HENRICO COCCIO
Hic & Iuris Præsentis Ordinis
HENRICO SIMON PARSITIS

Frankfurt ad Vesteram, Anno Christophoro...





Prolegomena
DE
**STATU PARENTUM
& LIBERORUM.**

SUMMARIA.

- | | |
|--|--|
| <p>I. <i>Deus ad conservationem humani generis obligavit parentes & liberos ad officia ac jura invicem præstanda.</i></p> <p>II. <i>Parentibus incumbit necessitas alendi liberos. Quod ipsa Natura ostendit. Leges Civiles confirmant. Alimentorum voce tota educatio venit.</i></p> <p>III. <i>Educationi cohaeret Imperium in liberos. Parentes sunt Magistratus naturales. Quibus proinde debetur III. Obsequium.</i></p> <p>IV. <i>Unde fluit IV. Veneratio perpetua erga parentes. De qua solenne Præceptum Dei est, addito præ-</i></p> | <p><i>vio. Cui convenit Jus Civile.</i></p> <p>V. <i>Nuptiæ V. prohibitiæ inter parentes & liberos ob Venerationem, Pudorem, Incertitudinem Jurium. Ob quam etiam à Poëtis damnantur. Persarum, Filtarum Lothi, Regis Queda Exempla, Prætextus, Examen.</i></p> <p>VI. <i>Liberis debetur successio in bona parentum, quæ in locum occupationis surrogata fuit.</i></p> <p>VII. <i>Hæc Jura Naturalia ampliata sunt per Patriam Potestatem Romanorum. Cujus præcipui effectus recensentur.</i></p> <p style="text-align: center;">A</p> <p style="text-align: center;">I. Hu-</p> |
|--|--|



I.



Humano generi ut artificiosè immortalitas introduceretur, hominesque qui in individuis se conservare non possunt, in posteritate superessent ac in liberis quasi reviviscerent, DEUS O. M. insigni quadam providentiâ non solum geminum hominum sexum condidit, & utrique vehementissimum se invicem appetendi procreandique sibi simile impressit motum, sed & præclara ac singularia inter parentes & liberos hoc modo conjunctos constituit jura & officia, tanquam incitamenta continuandæ & præmia peractæ jam procreationis. Eaque non tantum revelato verbo suo patefecit, sed etiam omnium hominum cordibus inscripsit, ut omnes etiam hi, ad quorum manus illud fortè non perveniret, ex sanâ ratione & intrinseco affectu hanc Creatoris voluntatem haut difficulter intelligerent.

II.

Inter hæc jura principem obtinet locum I. NECES-
SITAS ALENDI EDUCANDIq; LIBEROS, quæ pro-
creationi adeo cohæret, ut rectè continuata procreatio
dicatur, quia hæc sine illâ frustranea foret: cum recens
natis & toti generi humano miserè pereundum esset,
nisi extarent qui curâ partus gererent, subministratisq;
ad vitam necessariis eundem ad maturitatem perdu-
cerent: cumque hoc ab omnibus vel multis exige-
re, nec possibile nec conveniens sit, paucis vero hanc
curam incumbere necessitas postulet, nulla reperitur

ur ratio, cur hoc onus ad extraneos potius quam parentes pertinere debeat, quippe quorum pietas optimum pro liberis capere consilium præsumitur per *L. 22. ad L. Jul. de Adult.* Imo ipsa Natura hanc viam factis ostendit, dum non solum in utero alimentis sed etiam extra eum per ubera materna recenti partui prospexit; certo argumento, nemini magis quam Parentibus educandi officium incumbere. Ideo & *naturalem stimulum* parentes ad liberorum educationem hortari dicit *L. un. §. 5. de R. V. A.* & Legislatores Romani dum officium hoc alendi liberos cujuscunque sint sexus vel gradus, à parentibus severissimè requirunt *L. 5. §. 1. 2. 4. & passim ff. de Agn. & al. lib.* id faciendum dicunt non propter hereditates, sed propter ipsam *Naturam* & Leges quæ à parentibus alendos esse Liberos imperaverunt *L. fin. C. de Bon. qua lib.* in tantum ut parentes, qui officii sui atque omnis humanitatis immemores, partum suum negligunt, homicidii rei fiant: necare enim videtur non tantum is qui partum præfocat, sed & is qui abjicit & alimenta ei denegat secundum Paulum *JCrum* in *L. 4. ff. de Agn. & al. lib.* Non intelligi tamen per alimenta ea tantum quæ corpus liberorum spectant, uti victum & amictum, habitationem &c. sed & ea quæ ad Animum, alteram atque præcipuam hominis partem, formandum pertinent, h. e. ad bonam institutionem requiruntur, ut aliquando ipsimet se exhibere possint *L. 5. §. 7. eod.* hoc est de alimentis sibi mediis legitimis prospicere, aliisque utiles esse queant, hujus loci non est prolixè demonstrare, sed sufficit nobis, *Seneca* de eo prorsus egregium effatum: *de Benef. L. VI. c. 24. Non vides quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes*

DE STATU PARENTIUM

ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium, diligenti curâ fovent: & ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt: & mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum audacem juventam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque ac jam potentibus sui, si remedia, metu aut intemperantiâ rejiciunt, vis adhibetur & servitus.

III.

Educationi connexum est naturaliter: II. **JUS** seu **IMPERIUM IN LIBEROS**, tanquam medium, necessarium sine quo educatio fieri non potest, Naturâ iterum hanc facultatem intento quasi digito monstrante, ut nimirum qui Autores vitæ extirere, hi quoque eandem, ad perficiendum educationis munus, regendam haberent, & tanquam *Magistratus Liberorum naturales* essent: Quomodo eleganter *Plinius* inquit: *Vis & Lex Naturæ semper in ditione parentum esse liberos jussit.* in *Panegy. Traj.* Sicque ex Naturâ relatorum, vi hujus Imperii Liberi quoque naturaliter III. ad **OBSEQUIUM** seu parenti necessitatem tenentur, quippe sine quâ nec imperium effectui dari, nec liberis consuli potest. Cujus tantam quoque necessitatem Summus hominum Conditor censuit, ut Imperii Paterni contemptorem Filium refractarium morte puniri jussit *Deut. XXI. v. 18. & seq.* Et ipsi Gentiles, nihil præclarius existimaverunt quam dicere posse: *Parentibus meis parui, cessi imperio eorum, sive æquum sive iniquum fuit ac durum, obsequentem submissumque præbui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerem.* *Senec. de Benef. L. III. c. 38.* Seu ut *Lyfiteles* ad *Philonem* paren-

ET LIBERORUM.

parentem loquitur, apud *Plautum in Trinum. Act. II.* 5
Scen. II. v. 20.

Semper ego, usq; ad hanc aetatem ab incunte, adole-
ſcentiâ,

Tuis ſervidi ſervitutem imperiis & præceptis pater.
Pro ingenio ego me liberum eſſe ratus ſum: pro impe-
rio tuum

IV.

Hinc porrò fluit IV. VENERATIO PERPETUA liberorum erga parentes: Non ſolum quia, ab his acceperunt ut eſſent, cum non eſſent, quos id eo & Deum quodammodo referre gignendo Philo ait, ſed & ipſo educationis tempore innumera alia beneficia ipſis contulerunt, pro quibus ſi par referri gratia, nequit, piâ tamen veneratione æternum agnoſcenda. Unde ſolemne *Præceptum Divinum* de honorandis Parentibus, addito promiſſo: *Ut prolongentur Dies tui ſuper terram illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi Exod. XX. 12. Deut. V. 16.* Idemq; primum eſſe dicitur quod promiſſionem habeat *Ephes. VI. 1. 2. 3.* quia baſis eſt omnium fiducia inter homines. Cui convenit Jus Romanum quo pietas parentibus, eſſi inæqualis eſt eorum poteſtas, tamen æqua debetur. *L. 4. ff. de Curat. fur. & una omnibus ſervanda eſt reverentia L. 6. ff. de in jus voc.*

V.

Huic venerationis neceſſitati non dubitamus adjungere V. PROHIBITIONEM NUPTIARUM inter Parentes & Liberos in infinitum: Repugnat enim huic Venerationi familiaritas conjugalis & Sanctitati corporum parentum commiſceri cum eorum obſcœnitate: quâ ratione ipſe Deus utitur in prohibitione

bitione harum nuptiarum, dicens: *Ne discooperias turpitudinem patris ac matris &c. Lev. XVIII. 7. & seqq.* & Paulus *Jctus, in contrahendis nuptiis naturale jus & pudorem esse inspiciendum, contra pudorem autem esse filiam uxorem suam ducere L. 14. §. 2. in fin. de R. N.* Accedit, cum de *Incertitudine partus* hic præcipuè agamus, per ejusmodi incestuosas ascendentium & descendentium nuptias Partus omnes in incerto collocari, non quidem in nascendo, attamen ratione qualitarum & jurium partui competentium, dum e. g. unus idemque ex Nuptiis cum Matre natus, Patris *filius & frater*: Matris *filius ac nepos*, & viceversa illa filii *mater & avia* monstruosâ confusione evadit:

*Adverte mentem; sedit Thebaorum lues,
Ludifica cæcis verba committens modis.*

Quid simile posuit? quid tam inexecrabile?

Avi gener, patrisq; rivalis sui,

Frater suorum liberum, & fratrum parens:

Uno Avia partu liberos peperit viro,

Ac sibi nepotes. Monstra quis tanta explicet?

Inquit Seneca Tragicus in *Phœnissis* seu *Thebaide Act. I. v. 131.* ubi *Oedipum* scelus per Nuptias cum matre commissum agnoscentem fistit. Et *Myrrha* sensu hujus confusionis se affici non negat, licet libidine in parentem furens, apud *Ovid. Metam. X. v. 343.*

*Ut præsens spectem Cinyram, tangamq; loquarq;,
Osculaq; admoveam, si nil conceditur ultra.*

Ultra autem sperare aliquid potes impia virgo?

Nec quod confundas & FURA & NOMINA sentis?

Tunc eris & matris pellex, & adultera patris?

Tunc soror nati, genitrixq; vocabere fratris?

Nec metues atro crinitas angue sorores,

Quas

ET LIBERORUM.

Quas facibus seris oculos, atq; ora petentes
 Noxia corda vident? at tu dum corpore non es
 Passa nefas, animo ne concipe: neve parentis
 Concubitu vetito NATURÆ pollice FOEDUS.

Unde etiam sine Legibus invaluisse huiusmodi commixtionis fugam Pomponius dicit: *Libertinus libertinam matrem aut sororem uxorem ducere non potest, quia hoc jus moribus non Legibus introductum est. L. s. ff. de R. N.* Et Paulus Ictus: *JURE GENTIUM incestum committit qui ex gradu ascendentium & descendendum uxorem duxerit L. sin. ff. cod. L. s. ff. de Condit. sine caus.* Soli ferè Persæ secus sensisse Connubiaque non tantum cum sororibus, sed etiam cum *Matribus* permisisse leguntur; sed de quibus jam dudum Xenophon scripsit: *Non eo minus jure fore, licet à Persis conremneretur.* Et in Historiâ Sacra *Filia Lothi*, vix sensu tanti sceleris affectæ non tam ex libidine quam irregularo liberos suscipiendi desiderio, maluerunt eos ex parente quærere, quam cum interitu humani generis iisdem carere: *Pater noster senex est, nec quisquam superest in hac terrâ, qui congregiatur nobiscum secundum consuetudinem totius terra: Agedum demus bibendum patri nostro vinum & cubemus cum eo ut in vitâ servemus ex patre nostro semen &c. Gen. XIX. 31. 32.* Nec pœnitentiâ patrati facinoris actæ, sed potius eo gloriata fuissè videntur; Natu major enim, ne memoria turpissimæ rei periret, filium recens natum *Moab* vocavit h. e. ex parente susceptum, nec aliter secundo genita licet paulò modestius filium suum *Ben Ammi* nominavit h. e. filium populi sui i. e. non ab extraneo sed intra familiam suam susceptum, *cod. Gen. XIX. 37. 38.* Tosfan. in Not. ad h. l. Sed nec harum crassa ignorantia

rantia in exemplum ire, nec malus intellectus bonæ intentioni ipsarum excusandæ sufficere potest. Et seculo penultimo legimus Regem QVEDÆ in Indiâ Orientali post interfectum parentem, indeq; contractas cum matre nuptias occisosque qui liberius his de rebus locuti fuerant, prætextum quævisse *parri- cidio*, ut anteverteret infidiis vitæ suæ à patre, calumniis malevolorum occupato, structis, *incestui*, ut in veneratione Reginæ tantæ debita matrem conservaret, cui alias tanquam Viduæ in abjectiori conditione vivendum fuisset, referente *Ferdin. Mendez Pinto* Itiner. Cap. VII. cujus verba ex Belgicâ Versione aliâ destitutus referam: *Ik weet wel, dixit Rex ad Pintonem, dat men in de verlede dagen. tot u gezegt heeft, dat ik mijn Vader gedoot heb. 't Is waar, ik heb hem gedoot, om dat ik wist dat hy my wilde dooden; daar too hy van enige Slaven aangeprikkelt wierd, die hem dietsmaakten dat mijn Moeder van mijn bedrijf bedrucht was. Gy kont hier uit zien hoe veel de quade tongen vermogen. Ik dan, verzekeret dat hy dit valsch aanbrengen geloofde, ja dat hy mijn doot gezworen had, heb hem verrascht, en in de zelve strikken gevangen, die hy vor my gespannen had. Maar God weet hoe dit tegen mijn zin heeft geweest, en hoe ik altijd gepoogt heb de plichten van een gehoorzame Zoon aan hem te bewijzen, gelijk men noch heden zien kan. Bedenk of ik met recht gelastert mag worden van dat ik mijn Moeder tot mijn gemalin neem, op dat zy niet gelijk andere weduwen, verstoeten en mistrooslig zou zijn, te meer wijl ik om haar veel gemalinnen, die men my voorstelde, zo te Patave, Berdio, Tanaucarin, Siaca, Jambe, en Andragia, die alle zusters of dochters van grote Koningen waren, die men met rijke geschenken aan my wilde geven, afgezeggt heb. Ik heb doe*
afkondin

afkondigen, dat niemant van deze zaak zou spreken, om de tongen der lasteraars te bedwingen. Maar dewijl uw maker, die gy daar onder deze andere honden, gelijk hy, uitgestrekt ziet, gister opentlijk zo qualijk van my heeft gesproken, dat ik beschaamt ben om dat te verhalen, te weten dat ik een varken, of erger dan een varken, en mijn Moeder een hutsige teef was, zo heb ik hem, tot zijn straf, beneffens deze andere honden, doen doden. Quos vero etiam prætextus allegasse erit refutasse.

VI.

Deniq; VI. Liberis SUCCESSIONE debetur in hereditatem Parentum, quippe ad quam eos vocat Natura & ut Paulus Jctus loquitur L. 7. in fin. Unde Liberi & ut Paulus Jctus loquitur L. 7. pr. de Bon. Damn. Ratio naturalis quasi Lex quadam tacita liberis parentum hereditatem addicit, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod etiam in jure Civili suorum heredum nomen iis inditum est. Dicit suorum heredum nomen h. e. heredes domestici sunt, & vivo quoq; patre quodammodo domini existimantur. §. 2. Inst. de Hered. & Diff. Ut in his non tam hereditas sit, quam domini continuatio L. 11. ff. de Lib. & Postb. §. 3. in fin. de Hered. que ab Int. Estque hujus successionis ratio naturalis, quia, cum aliis liberi, qui rebus omnibus propè occupatis in vacua non venère, privarentur jure occupationis, quod tamen omnibus hominibus veluti Condominis rerum terrestrium æqualiter à Naturâ concessum est, in hujus locum successio in bona parentum surrogata fuit; ita ut jam nemo, concessis ipsi bonis Parentum, à Naturâ jure occupandi se exclusum, conquiri posse videatur.

B

VII. Sed

Sed & jura illa Naturalia inter parentes & Liberos per *Patriam Potestatem* Romanorum valde aucta & amplificata sunt: Nam licet omnes gentes in liberos suos jus ac potestatem aliquam habeant, *nulli tamen alii sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem qualem Romani habebant* Teste Imper. Justin. in §. 2. *Inst. de Patr. Pot.* Nam (1.) Lege Romuli pater in liberos habebat *jus vita ac necis, terq, venundandi potestatem* Dion. Halicarn. *Lib. II. p. m. 71.* A. Gell. *Noct. Att. Lib. V. c. 19. L. 1. de Lib. & Posth. L. ult. C. de Patr. Pot.* Qui excessus tamen Patriae potestatis successu temporis tanquam contra naturale jus ac pietatem, *in qua patria potestas consistere debet*, L. 5. de L. *Pomp. de Parr.* sublatus fuit relicta patri modicâ castigatione L. 3. d. L. *fin. C. de Patr. Pot. L. un. C. de Emend. prop. L. 2. ad L. Corn. de Sic.* Vestigium tamen hujus juris remansit in L. 2. *C. de Patr. qui fil. distr.* quâ (procul dubio ob metum expositionis) indultum adhuc patri fuit *propter nimiam paupertatem, egestatemq, victus causa, filium, filiamve sanguinolentos in servitutem vendere.* (2.) Uti servus Domino, sic *filius acquirit patri*, & quidem olim omnia ferè indistinctè, postea verò pro ratione peculiorum *pr. & §. 1. Inst. Per quas pers. L. 1. 2. 4. 6. pr. C. de Bon. qua lib.* Et quoad hanc acquisitionem (3.) filius & parens *pro Una Personâ* habentur, L. *fin. de Impub. & al. subst. §. 4. I. de Inutil. Stip.* Unde propter hanc Juris Civilis fictionem etiam (4.) *Nulla Civilis obligatio* inter illos esse potest, *quia vox patris tanquam vox filii & viceversa intelligitur* §. 4. *de Inut. Stip.* Nec (5.) *ulla lis* seu actio inter illos datur L. 4. *ff. de Judic.* (6.) Pater Liberos quasi res sui domi-

ET LIBERORUM.

dominii vindicat L. 1. §. 1. ff. de R. V. & exhiberi postulat L. 1. §. 1. ff. de Lib. exhib. (7.) Iisq; pupillariter substituere ac in testamento Tutores dare potest §. 3. I. de Tut. (8.) Ad nuptias Liberorum patris iustus requiritur. pr. I. de Nupt. qui præcedere eas debet d. pr. §. L. 25. §. 4. ff. de acquir. her. (9.) Parentes quoque ad hereditatem Liberorum veniunt, non uti liberi ad parentum, sed turbato mortalitatis ordine L. 15. de Inoff. Test. ob rationem miserationis L. 7. in fin. Unde Lib. Unde etiam luctuosa portio. L. 28. C. de Inoff. test. tristis successio §. 2. I. de Sc. Tert. & dura fortuna solatium L. 4. in fin. C. ad Sc. Tertull. dicitur. Deniq; (10.) Pater filio donationem propter nuptias dare, & filiam pro modo facultatum suarum & dignitate generi dotare tenetur L. fin. C. de dot. prom. adeo ut renuens ad id per Magistratum compelli possit. L. 19. ff. de R. N. Sed hæc Prolegomenon loco sufficient, quæ vel ideo adducenda fuerunt, quod iis in ipsa materiæ nostræ tractatione passim opus esse viderimus, ad quam nunc misis ambagibus ulterioribus, propius accedimus.

CAPUT I.

DE HUMANO PARTU
CERTO AC INCERTO
IN GENERE

SUMMARIA.

- | | |
|---|--|
| I. Certum & incertum quid?
Quis partus hic dicatur
certus & incertus. | II. Partus humanus, ut exer-
ceantur jura liberorum &
parentum, debet esse certus. |
|---|--|

B 2

III. Ef-

- III. *Effecta quaedam incerti partus recensentur.*
- IV. *De Communione mulierum apud gentes quasdam iudicium.*
- V. *De Platonis ac Socratis conuisione mulierum, iudicium Aristotelis, Saluiani, Grotii.*
- VI. *Partus certus esse debet quoad utrumq; parentem.*
- VII. *Ratione matris semper certus est.*
- VIII. *Ex post facto tamen haec etiam incerta fieri potest, Exempla varia.*
- IX. *Matrem tamen per se esse certam, & huius effectus.*
- X. *Certitudo partus ratione patris difficilis est: Nec mater aliquando patrem scit.*
- XI. *Quando de patre certa sit? Cur ei credi non possit.*
- XII. *Casus, quo pater verè certus est: De eo iudicia. Exemplum Mommoranciae, Condae Principis Uxoris. Orientalium mores in custodiendis mulieribus: Religiosa cuiusdam de Claustris suis querela.*
- XIII. *Cum Naturà certitudo patris non sit, Lex moralem inuenit.*
- XIV. *Naturà mulieri uni saltem viro cohabitare licet, Consensus in hoc nuptia sunt. Earum encomia.*
- XV. *Effectus Nuptiarum quod patrem demonstrant, extra eas natus, nullū habere intelligitur.*
- XVI. *Fundamentum huius legalis praesumptionis & rationes fundandi.*
- XVII. *His, cessantibus, cessat praesumptio & partus sit incertus, Exempla.*

I.

CERTUM in Philosophiâ Universali vocant, cui intellectus firmiter adhærere potest: *Incertum* cui adhæret cum formidine oppositi: Quomodo interesse Humani generis, ut omnia in *Certo* collocentur, communiter dicimus h. e. ut consistent loco sibi debito,

debito, eoque intellectus se iis firmiter applicare possit: Et *certum siderum discursum* Seneca in argumentum Divinae providentiæ cuncta ordinantis & custodientis veritit *de Provid. c. 1. h. e.* eodem ordine semper orientium & occidentium. E contrario spes *Incerti Boni nomen est* apud eundem *Epist. X.* quia quod ostendit, oppositis casibus interverti potest; Et *incertam vocem si tuba det, neminem se ad bellum paraturum,* dicit Paulus *1. Cor. XIV. 8.* quia non constat, quid significet, adeoque cui homines se applicent. In Jure Romano certum ac incertum varias fortitur acceptiones, quas omnes distinctim recensere nimis prolixum foret: Quoad scopum nostrum *Certum Partum* hic dicimus, *de quo constat ex quibus parentibus in justis nuptiis legitime sit editus: uti certi status is dicitur de quo constat an sit pater vel filiusfam. in L. 2. §. 3. Unde Legit. Incertum vero de quo hoc non constat.*

II.

Partum autem Humanum certum esse Naturalis pariter ac Civilis juris ratio exigit: *Præclara enim illa ac insignia jura omnia* quibus ab utroque ad humanarum societatum conservationem parentibus & liberis saluberrimè prospectum est, uti hætenus in *Prolegomenis* vidimus, frustra essent constituta nec exerceri inter ipsos possent, nisi certum esset à quibus & in quos exerceri debeant. *Incertus enim partus* h. e. *de quo non constat vel dubitatur an ex legitima in justis nuptiis conjunctione editus sit,* non magis juribus liberorum frui potest, quam vulgo conceptus, aut spurius, cum in eo omnes conveniant, *quod patrem demonstrare nequeant L. 23. ff. de Stat. Hom. & ideo nec patrem habere intelliguntur, cum is incertus sit. §. 12. Inst. de*

B 3

Nupt.

Nupt. quod plenius *infra* §. XV. apparebit. Ex quâ causâ & nulla à patre officia pietatis exigere possunt, uti enim debitor non compellitur ad solvendum nisi prius appareat eum esse debitorem: sic nec pater liberis aliquid præstare tenetur nisi constet suos esse, adeo ut licet iudex nutrirî vel ali oportere pronuntiaverit, dicendum tamen est de veritate querendum, filius sit an non? *L. pen. ff. de His qui sunt sui vel al.*

III.

Et ut specialia quædam paucis attingam, quis tantâ curâ ac solitudine, quam Natura requirit, recentem foveret ac aleret partum, nisi partem sui corporis arbitraretur? Quis regeret juventutem ejus formareve mores tantâ industriâ tot sumptibus nisi sibi tanquam parenti hoc munus à Natura; injectum esse sciret? Nemo viceversa liberorum alicujus severum ferret imperium, nisi certi Patris, tq. vitæ Autoris, quem morum Rectorem sibi à Natura præpositum agnosceret; nemo eundem perpetuâ veneratione coleret, nisi infinitis in se meritis ac beneficiis ad hoc Naturâ obstrictum se esse sentiret. Et ut *Lactantius* contra communionem sexus scemineî eleganter discribit *Div. Just. L. III. c. 21. Si omnes omnium liberi sint, quis amare liberos tanquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tanquam patri deferret, cum unde natus sit nesciat? ex quo fit ut non solum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno.* Præterea nihil sibi quisquam ex successione patris, qui incertus est, promittere potest, proindeque maxima hominum pars miserimè & in summâ inopiâ vitam transigeret, exemplo *Spartanorum*, qui ab-

fen-

sentibus & Messenam oppugnantibus maritis, domi ex promiscuis congressionibus sceminarum cum juvenibus, ex castris ad hoc remisfis, nati erant, & cum ad XXX. annos pervenisent metu inopiæ, quia nulli pater existeret, cujus in patrimonium successio speraretur, alienas sedes quærere cogebantur Justin. Lib. III. cap. 4.

IV.

Legimus quidem *Scythas, Agathyrsos, Garamantes, Troglodytas, Masagetas* & plurimos qui ad meridiem spectant populos olim, nullâ habitâ ratione *Certitudinis Partus*, communes uxores habuisse, quosdam eorundem Arabes nim: unam omnibus consanguineis uxorem esse voluisse, cæteros vero quique non ex eodem genere essent nati, adulterinos credidisse: *Cabadem* intuper, *Perfarum Regem*, publicâ *Lege* permisisse viris ad uxores quaslibet accedere, teste *Agathia Lib. IV.* Sed hi *Barbarorum* mores, quibus, quas de Diis suis acceperunt fabulas, sceleratis factis imitati sunt, nihil quam inhumanæ feritatis vestigia sunt, nec magis jus quoddam inferunt, quam quorundam *Americæ* populorum qui carne humanâ vescabantur. Nec *Cabadis* permissio majorem applausum apud *Viros Honestos* invenit, quam *Claudii* Decretum post ductam *Agrippinam* apud Romanos, quo *justa inter patruos fratrumq; filias nuptiæ etiam in posterum statuerentur: Neq; tamen repertus est, nisi unus talis matrimonii cupitor, Talledius Severus eques Romanus, quæm pleriq; Agrippinæ gratiâ impulsus ferebant. Tacit. Annal. Lib. XII. c. 7.*

V.

Magis mirum, quod *Græcorum Philosophorum* Prudentissimus *Plato* & apud eum *Socrates* *Liberorum*
& UXO.

& uxorum pariter ac rei familiaris communionem commendasse; adeoque *Certitudinis Partuum* nullam rationem habuisse videantur, causati, Civitatem tunc demum perfecte unam futuram, si unusquisq; filium suum diceret eundem, & uxorem suam eandem, & de facultatibus ac fortunis similiter sentiret, ut *Aristoteles* de his loquitur *II. Polit. c. 2.* seu interprete *Salviano*: *Majore fore concordiam Civitatum, si omnes viri feminis sine discretionem omnibus misceantur & omnes feminae se omnibus viris sine distinctione substernant: ac sic fiant omnes viri omnium mulierum mariti & omnes feminae virorum omnium uxores.* Unde & *Socratem* uxorem suam alteri viro tradidisse, hujusque imitatione, *Romanum Catonem*, alterum scilicet *Italia Socratem* conjugis suae usum *Hortensio* concessisse idem *Salvianus* narrat, & antea *Appian. Lib. II. Bell. Civ. Plutarch. Vit. Caton.* Quos tamen causam *omnis certitudinis Garamantium* instar procul habuisse, dicere vix audemus: Sed omnino aliquam reliquisse videntur, verum *Schæno Persicâ* emensos fuisse, nec intra Conjugii fines conclusisse, verum satis duxisse, si *Partus Certus Civitatis* non aliunde quaesitus esset, adeoque *filius* vel *filia Reip.* tuto dici posset, licet intra unius domus angustias non contineretur. Sed his jam responsum ab *Aristotele*, qui agnoscit omnes quidem uxores suas, liberos suos esse dicere posse, sed non singulos, sicuti rem familiarem suam omnes quidem dicturi essent, sed non unumquemque singulatim, adeoque nil facturum ad *Concordiam cit. II. Pol. 2.* cui itidem *Salvianus* concinit: *Tu dicis, maxime Philosophorum, hac ratione omnes viros esse feminarum omnium maritos, & omnes feminas virorum omnium uxores & parvulos omnes omnium filios.* At
ego

ego hac ratione dico, neq; ullum virum ullius fœmina maritum, neq; ullam mulierem ullius mariti uxorem, neq; ullum pignus ullius parentis filium. de Gubernat. Dei Lib. VIII juxta illud:

Cui pater est populus pater est sibi nullus est omnīs,

Cui pater est populus non habet ille patrem.

Addit porro *Aristoteles* tantum abesse ut hinc concordia speranda sit, ut potius è contrario confusionem, sæpe etiam contumelias & cædes fratrum, filiorum, patrum ac matrum metui oporteat *cod. c. 2. & 3.* Quibus familia sunt quæ apud *Grotium* leguntur: *Inter eosdem Græcia Philosophos præstantissimi communionem mulierum laudatâ quid aliud quam ex Civitate totâ unum fecerunt laparar, cum etiam inter muta animantia quædam sit factus aliquod conjugale? quare æquius ne sanctissimum animal homo incerto semine nascatur, extinctis etiam parentum & liberorum inter se affectibus.* de Ver. Rel. Christ. Lib. II §. 13. Vandalos certe vulgo *Barbaros* creditos *Socrate* longè sapientiores, institutâ comparatione idem *Salvianus* prædicat: *Statuit ille ut nullus penitus suam haberet uxorem; isti ut nullus penitus non suam; ille ut omnis fœmina viris omnibus subjaceret; isti ut nulla fœmina alium quàm suum virum nosceret: ille generationem mixtam atq; confusam, isti puram atq; ordinatam:* eod. loc. Quos ideo nec *Barbaros* dicendos esse autumat, sed potius *abstulisse de omni Africa sordes virorum mollium & turpitudinum labem.* p. m. 290.

VI.

Ex his evidens est, Naturâ requiri ut partus humanus sit certus, humanum que genus legitimo modo ac ordine, hominibus condigno & à brutorum more diverso, conservetur suisque vicibus immortalis

C

le ma-

18 CAP. I. DE PARTU HUMANO CERTO
le maneat. Quia vero ad generationem duarum personarum, *Mas ac Fœmina* æque concurrunt, *pr. I. de Jur. N. G. & C.* Partus quoque ab utroque Parente jura sua æque derivat, hinc utriusque etiam Patris pariter ac Matris certitudo requiritur, ut partus humanus certus dicatur, sed quia naturam alter præ altero magis apparet, non potest non diversa esse illos demonstrandi ratio.

VII.

Et quidem matrem quod attinet, de eâ minus dubium, quippe quam ipsa Natura demonstrat *L. 24. de Stat. Hom.* quia partum in utero conceptum, iusto tempore gestum in lucem edit, sensibusque facile percipitur infantem de utero matris exire; idque per obstetrices aliosque præsentis testes, qui partui inter-
venerunt probari potest. *L. 1. §. 10. ff. de Ventr. Insp.* *Mascard. de Prob. Concl. 788. n. 2.* Quomodo etiam *Virginus* ex uxore sua natam sibi *Virginiam* eoque ingeniam per nutricem probare volebat, contra *Marcum Claudium Appii* clientem: *Quasô Appi. primum ignoscere patrio dolori si quid inclementius in te sum invecus: deinde finas hic coram Virgine Nutricem percontari quid hoc rei sit? ut si falso pater dictus sum, equiore hinc animo discedam.*
Liv. Lib. III. c. 40.

VIII.

Casu tamen & ex post facto aliquando matrem, naturam alias certam, fieri posse incertam exemplo *Cyri Altyagis Medorum Regis* ex filiam Nepotis constat, qui ab avo, metu somni quo viderat ex naturalibus filie vitem enatam, cujus palmitum omnis Africa adumbraretur, necari iussus fuit; sed *Harpagi* curam exposcit.

fitus à pastore fuit, qui eum deinde precibus uxoris perimotus ad stabula detulit, ubi ab hac, exposito suo partu ejus loco *atque ita permutatâ sorte parvulorum, pro filio pastoris educatus fuit.* apud Justin. *Lib. 1. c. 4.* Simile exemplum est in *Oedipo* Laji Thebanorum Regis & Jocaftæ filio, qui cum à pastore cui necandus traditus erat, perforatis gladio plantis, vimineque trajecto, ex arbore suspensus esset ut fame periret, servatus fuit à Phorbâ Polybi Corinthiorum Regis pastore, Reginæque oblatu, quæ eum filii loco educavit: grandior factus cum in Phocide justu oraculi patrem quæreretur, eundem incognitum occidit, & Thebas veniens Polybique filius creditus, propriam matrem insciens uxorem duxit. Sen. *Trag. in Oedipo & Phœnissis.* Diod. Sic. *Lib. 1.* Sic incerta quoque erat mater in judicio Salomonis cum duæ mulieres, mortuo puerorum altero, de superflite litigarent, utrâque illum tanquam suum vindicante; Sed Salomon, discindi puerum in duas partes jubens, ex unius naturali erga partum suum affectu veram matrem sapientissimâ sententiâ detexit: *date huic natum istum qui vivit & minimè cum morte afficite, illa mater ejus est.* 1. *Reg. III. 16 & seq.* Cui jungendum judicium *Claudii Imp.* qui fœminam non agnoscentem filium, adeoque in incerto collocantem, dubiâ utrinque argumentorum fide ad confessionem compulit, *indicto matrimonio juvenis,* apud Sueton. *Claud. c. 15.* Notabile deniq; & recentius exemplum in *Johanne Austriaco* Caroli V. Imp. Naturali Filio, qui bis in matre deceptus, semper alienam coluit, nunquam suam: Carolus enim Pater infantem ex pleto nondum anno matri abreptum *Aloyfia Qviscida* Imperatoriæ Aulae Præfecto in Hispaniam deferendum

rendum tradiderat, ut à Coniuge ipsius *Magdalena*,
Ulloa educaretur; quam igitur primùm pro matre
 coluit. Postea vero iussu Philippi Regis, fratris sui
 consanguinei, adhuc puer in Regiam Aulam delatus,
 eum ex *Barbara Blombergæ* natum esse ipsi persuasum
 fuit, hancq; secundò matrem agnovit: *sed eum à longè*
Illustriori ac planè Principe sœminâ procreatum, cuius ut
fame parceretur, pretextam fuisse aliam à Carolo Cesare, ac
personam matris impostam Blombergæ, haut gravatè sube-
untî speciosum culpæ titulum; eo denique loco habitam à
Philippo Rege Scene pariter inserviente, refert Fam. Strad.
de Bell. Belg. Dec. I. Lib. X. in fin.

IX.

His & similibus casibus matrem incertam reddi
 posse, negari nequit, sed hoc fit per accidens, propter al-
 ias cum tractu temporis accedentes circumstantias,
 in se neutiquã incerta est, cum ipse pariendi ordo plus-
 quam certam faciat partus ex se nati; & hoc sensu *Ma-*
trêm naturaliter certam esse etiamsi vulgo conceperit, post
 Paulum *in d. L. 5. ff. de in jus voc. agnoscunt Dd. in d. L. 5.*
 indeq; eam verà ac necessariâ probatione demonstra-
 ri posse, tradunt Mascard. *de Probat. Concl. 788. n. 1. & 7.*
 Gail. *II. Obs. 97. n. 5.* Menoch. *de Arb. Jud. Quest. Cas. 89. n. 3.*
 Quæ & causa est, quod omnes illegitimi matris condi-
 tionem sequantur: *Vulgò questus matrem sequitur L. 19.*
ff. de Stat. Hom. Qui iustum patrem non habet, prima origo à
matre est. L. 9. ff. ad Municip. Nam Lex Naturæ est, ut qui
nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur L. 24. ff.
de Stat. Hom.

X.

Hæc de Certitudine Humanæ Partus ratione Ma-
 tris, sequitur *Certitudo Parris*, cuius demonstratio diffi-
 ciliior

cilior est, partui enim, uti diximus, testes adesse solent, ex quibus veritas haberi potest, conceptioni nulli, adeo ut vix copula probari possit: cum soli semoti; ab aliis parentes congregari soleant. Et licet utriusque confessione vel aliunde de hac constet, potuit tamen aliis mulier eandem corporis sui usuram circa eadem tempora concessisse, proindeq; adhuc in dubio manet, ex quo semine conceperit. Cum conceptio fiat intra viscera materna & nullo certo sensu percipiatur, ita ut nec ipsa mater ex quo gravidum ferat uterum scire, possit, unde & partus ex huiusmodi promiscuo concubitu nati, juxta *Modestinum* in *L. 23. de Stat. Hom. vulgò concepti* vel spurii appellantur *ἄλλο τὴν σπογγὴν* i. e. *à saitione*: ubi tamen *Theoph. Cujac. Horom.* aliq; existimant *σπογγῆν* legendum esse, quasi *sparsim*, vulgò, *promiscuè* concepti & ex collectio semine editi.

XI.

Ac licet in confessione matris non leve præsidium quæri soleat, id tamen matri quidem sufficere potest, quæ si nulli alii quam uni viro sui copiam fecit, certa esse potest, se ex hoc concepisse & nullum alium patrem esse: Verum aliis fidem certam hac de re facere non potest; quia testatur in propriâ causâ in quâ nemo idoneus testis intelligitur *L. 10. ff. de Test. L. 10. C. eod.* Et hac ratione vix quisquam illegitimè nascetur, cum propriam turpitudinem confiteri *grave sit ac criminofum L. 3. C. de Transact.* Quare etiam *Telemachus* matris testimonio plenam fidem non tribuit, quando apud *Homer. Odysf. 1.* canit:

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέθεν τέ ἐμμεναί, αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδα, ἔ γάρ πο τις ἐόν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

C 3

Ex

Ex illo, narum mater me dicit, at ipse

Nescio, nam certum quis possit scire parentem.

Nec desunt alii, qui plenam fidem in hac re uxori-
bus habendam non esse existimant, quos adducit Pa-
laot. de Noth. Spur. fil. C. XXI. n. 1. his verbis: *Ac qui-
dem qui ajunt, in his certam non dari probationem, eâ potissi-
mum moventur rati. ne, quod nemo de his rebus occultat, ut a-
junt, fide unquam potest attestari, cum ne is qui se patrem dicit,
verè eum à se filium genitum possit affirmare. Quis enim
de uxore suâ tantum sibi audeat polliceri, ut eam nullos al-
ios interim expertam viros re ipsâ valeat asseverare?
Possumus quidem multa conjicere, & sat verisimiliter no-
bis persuadere, eam conjugii fidem nunquam violasse, sed hæc
presumptio est magis, quam certa ulla ac liquida probatio.
Sic & Ovid. Lib. II. Amor. Eleg. XIII. v. 5.*

Sed tamen aut ex me conceperat, aut ego credo,

Est mihi pro factò sape quod esse potest.

Et Menander disertius in Stobæi Florileg; Tit. 76.

*Ἔστιν ἢ μήτηρ Φιλότεκνος μᾶλλον πατὴρ
ἡμὲν γὰρ αὐτῆς οἶδεν οἶόν ὃ δ' οἶεται.*

Mater tenerius liberos adamat patre,

Quia mater esse scit suos, pater autumat.

Imò & alii DD. certam ac necessario concludentem
filiationis (uti doctrinæ causâ loqui amant) probati-
onem respectu patris non solum difficilem, sed penè
impossibilem esse autumat. Gail. II. *Obs. 97. n. 3.* Ma-
scard. de Probat. *Concl. 788. num. 5.* Menoch. de Arb. Jud.
Quæst. Cas. 89. n. 1. 4. 11. & ibi *all.* quia certa scientia illa
esse dicitur, quando aliquis de certo ac proprio sensu
attestari potest. *L. 3. ff. de Test.* quod in opere conce-
ptionis fieri nequit. Menoch. *cit. loc.*

XII. At

XII.

At *Berous C. 8. de Prob.* difficile tantum certitudinem patris non impossibile esse dicit, allegato exemplo ex *Bartol. in L. i. C. Quor. bon. n. 2.* puellæ scilicet in carcerem, arcem, similemve munitissimum locum cum viro detrusæ, circumpositis custodiis & vigiliis ut omnibus aditus præcluderetur, quæ sic conclusa, si post anni spatium partum edidisset, hunc verè, directè & indubitatè ex illo viro genitum esse, satis constare existimat. Ad quem casum *Card. Palaot. d. cap. ad finem.* Hic fortasse ærei quidam Dæmones suspecti esse possent, prout de Danae & imbre aureo veteres Poëta fabulati sunt: fortè & magna quædam præstigia, quorum vi clausulas etiam obseratasq. valvas nonnulli furtim ingressi, cum à nemine conspici possent, nuncq. pueros fascinasse, nunc cum alienis uxoribus congressi esse traduntur, si tamen hic fides est adhibenda. Planè (subdit idem) & hoc casu non video quomodo hæc adeo certa sumatur probatio, si quidem testes de eo tandem fidem facient, neminem intra id tempus eo ingressum esse, ex quâ re sequitur id quidem necessariò eum esse filii parentem, qui cum puellâ moratus est. Sed tamen hæc ipsa probatio non principaliter natalium causam respicit: nihil enim illi de coitu, nihil de conceptione attestantur, sed potius quibusdam rebus extrinsecus, & per obliquum id docent. Ita ut & hinc animadvertas, rem istam, & quod principaliter agitur, nunquam verè probari posse. Sed hæc ut opinamur facerè magis quam ferio & ex vero. Sanè præstigiæ & ærei Dæmones fœminino sexui metuendi non sunt; modo cane & angue pejus fugiant carnales Dæmones qui sub specie filiorum lucis se insinuant. Casum quod attinet, certitudo patris satis probata videtur, licet enim

nim copula & conceptio non directò probentur, tamen ex effectu per legitimam consequentiam de his factis constat. *Palcoti* opinionem etiam reprobavit *Mench.* d. l. n. 18. Exemplum v. hujusmodi casus ex *Beroo* recensiti præcedenti Seculo præbuit Illustris Fœmina *Mommerantia*, *Condei Principis Uxor*, quæ non tantum initio Conjugii ab *Henrico IV.* Rege Galliæ vehementius expetita, cum diu restitisset, tandem unâ cum marito fugâ in Belgium sibi consuluit, sed etiam post obitum Regis reversa, maritoque post aliquot annos in custodiam dato, cum eum adire non permetteretur, nisi & ipsa perpetuam carceris solitudinem unâ ferret, prævalente libertati amore in virum, subiit in carcere arctæ custodiæ pœnam amoris rea conjugalis; quo factò, ut Gramondus de eâ loquitur, *supra sexus fragilitatem posito, dici haut injuriâ possit inventam eâ etate fortem mulierem, quam negat Sapientia in sacris paginis; Et ipsa atrî carceris horrorem patitur, rata solitudinem quascunq; viro procul urbes.* Novo hîc Sacramento inter conjuges sancitur fides; revidiscit ex novo consortio, malo utriusq; astro sopitus ignis, & mox: Post casum commiseratione indicem fortius amant se: Sequuntur amplexus & liberi progenies regia; felix sanè Gallis custodia, per quam propagatur Borbonium semen, solitudinis tristitiam compensante naturâ. Hist. Gall. Lib. II fol. 142. Totum aliàs orientem, Aulas omnium Principum, privatas quoq; domos abundare honestis ejusmodi carceribus, solis Principibus ac maritis parentibus, nemini Historiarum Orientalium gnaro ignotum est. Vid. de *Gynæceo Imp Turcici Tavern. descr. Aul. Turc. c. 17. pr.* Es würde in der ganzen Christenheit nicht ein einig Nonnen-Moister zu finden sein/
wie

ULB Halle
004 827 791

3




*Made Rückgabe an OC
JL 13.05.08*

VD 18







77

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS, 1703, 2
Des

PARTU REGIO INCERTO,

15 6

Quam
Divinâ Favente Gratiâ
EX AUTORITATE
MAGNIFICI JCTORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,
JCTO LONGE CELEBERRIMO,
SERENISS. AC POTENTISS. REGIS BORUSSLÆ
CONSILIARIO INTIMO,
FACULTATIS JURIDICÆ ORDINARIO ET PROFESS.
PRIMARIO,

ANTEA
SUMME CONSILII STATUS ELECTORALIS PALATINI
ET COLLEGII REVISORII ASSESSORE, IN ALMA HEIDEL-
BERGENSI DECRETAL. PANDECT. ET JURIS GENT.
PROF. PUBL. ORDIN. MERITISSIMO,

Fautore ac Promotore atatem colendo.
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
ritè consequendis
Die XIII. Januar. Ann. MDCCIII.
Publicæ Disquisitioni exponit

HENR. SIMON PLESMANNUS,
Hift. & Polit. Profesf. Ordin.

Francofurti ad Viadrum, *Literis* Christophori Zeitleri.

